

XXXXVIII.

Distinguitur deniq; voluntas in *absolutam & conditionatam*. Illa est, qua DEUS aliquid simpliciter absq; ulla conditione vult fieri, ideoq; semper impletur. Hæc est, qua DEUS aliquid fieri vult sub certa conditione, qua nõ impleta volũtas nõ habetur rata.

Decisio controversiarum ad hoc caput tertium.

XXXXIX.

Unum numero dicitur ambiguè. Notat enim unitatem *individuatam*, quæ corporali naturæ est conjuncta; *vel solitariam & absolutissimã*, qua unitate DEUS dicitur unus, vel potius unicus, ita ut nullus sit alius præter ipsũ Deut. 4. v. 35. vel dicitur aliquid numero unum *adfirmative*, sic natura humana specifica constat ex plurimis individuis humanis, ijsq; distinctis unũ numero constituentibus: *vel negative*, puta secundũ rationem unitatis individue numerumq; constituentis, sic unũ non tam dicit divisionẽ ab alio, quàm negat consortiũ alterius. His observatis, vera sunt, quæ disputat Bas. Mag. Epist. 141. ad Casarien. quod sc. DEUS non sit dicendus numero unus, sed essentiã. Cum unus *essentia* dicatur *adfirmative*: *numero* distinctive, ut unitas hæc distinguatur ab alijs unitatis modis, de quibus th. 37.

XXXXX.

Particulæ exclusivæ non eximunt à *μετέξου* Deitatis reliquas personas, sed tantum idola gentium, quæ sunt res nihili Ps. 96. v. 5. ut patet ex eo, quod scriptura diversis personis unam eandemq; exclusivam addat. conter Joh. 17. v. 3. & Ps. 86. v. 10. 1. Tim. 6. v. 15. & Apoc. 19. 6. vide etiam 1. Cor. 9. 6. Quærere hic licet ex Photinianis, qui verba Christi Luc. 18. 19. intelligenda? certè juxta eorum mentem particula exclusivæ à participatione bonitatis excludet ipsum Christum. O bipedum nequissimi & blasphemus! Sin dicent, & Christum esse bonum, propria vineta cædunt.

XXXXXI.

Operationes indicant essentiam: ita enim operationes divinæ docent nos de essentia divina. Rectè ergo *ab actionis identitate & modi in agendo equalitate ad essentia unitatem* ex Joh. 5. 19. *argumentamur*, Neque est, quod ibi urgeas *particu-*